



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

naturalem, sive peccaminosum; ex dictis n. superiori. Etenim principium supernaturale, cum per se retrahat a peccato, non potest esse principium per se actus peccaminosus effectivum; at potest esse illuminativum retrahens, atque a peccato avertens ex proportione malitia, ut ex ipsis terminis sit evidens; neque ulla inconveniens est ratione libertatis, cum actus naturalis peccaminosus revera expellat extreum oppositum meritiorum, sive naturale, sive supernaturale, cum sit incompossibile cum illo. Exinde

484. *Fit 6. Actum liberum intrinsecè continere duplarem formalitatem, alteram quidem electionis, sine qua esse nequit, & ratione cuius habet quoad denominationem resistere extremo opposito, atque principiis ad illum allicientibus; alteram vero resistentiae, ratione cuius potest habere non solum eam virtutem, qua actu resistat contrariis allicientibus, sed qua resisteret etiam aliis habentibus majorem virtutem, quae ad oppositum allicerent, sicut enim actus voluntatis habet ex essentia sua, quod vitalis sit, quod voluntivus, quod naturalis, aut supernaturalis sit; ita actus, qui est electio, habet essentialiter eligere, ac proinde oppositum in contrarium allicienti resistere. Ceterum, sicut actus vitalis, qui modo procedit a comprincipio perfecto ut unum, possit procedere a principio perfecto ut octo, ita electio, quae modo resistit virtuti contraria ut unum, talis esse posse, quae resistat, eti ad esset contrarium perfectum ut octo, ad eum quippe modum, quo, quando aliquis producit impulsus ut octo contra contrarium resistens ut unum, vincere quoque posset contrarium, licet daretur cum resistentia ut lex. Hæc autem est ratio, quare actus liber, quamvis sit intrinsecè liber, quoad ea, quae essentialiter exiguntur electio, atque quoad ea omnia, quae requiruntur ad actualem resistentiam, sine qua electio dari non potest, non tamen est intrinsecè exigens actualitatem omnium comprincipiorum contrariorum, quibus resisteret, si darentur. Unde quoad majorem eam vim habet virtutem resistendi quoad sufficientiam, licet eam quandoque non habeat quoad efficaciam; proindeque actus intrinsecè liber quoad eam majorem vim, & actualem resistentiam validiori contrario vocari solet extrinsecè liber, de quo in praesenti non curamus, cum sit quæstio de puro nomine, & explicatis terminis nota sit, atque in ea suppositione saepe loquimur, & innuimus jam in Tractatu de Deo n. 901.*

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

485. *Objicitur 1. Potentia libera adæquate sumpta includit in se duas potentias, alteram eliciendi secum, alteram omittendi, sive elici-*

endi oppositum; sed nulli actui est intrinsecum adæquate, ut pendaat a potentia eliciendi oppositum; ergo nulli actui est intrinsecum adæquate pendere a potentia libera, proindeque nullus actus liber evadet intrinsecè liber. Respondeo conc. maj. & dist. min. ut pendaat tanquam a potentia effectiva, concedo, tanquam a potentia, quam ex suis intrinsecis vincit, neg. min. & conseq. Ratio est, quia actus liber non solum habet ex suis intrinsecis, quod physicè producatur a suis principiis effectivis; sed etiam, quod sit victoria compripriciorum allicientium ad oppositum. Unde, quamvis ratione primæ formalitatis non pendaat, aut prærequirat comprincipia ad oppositum, ratione tamen secundæ formalitatis pendaat, ac requirit comprincipia ad oppositum; sic motus bilancis, quatenus in tali determinato gradu est tardus, aut velox, dependet a ponderibus inæqualibus utriusque oppositis, & sibi invicem renitentibus, ita etiam actus dilectionis erga Deum, & odii adversus peccatum depender simul a bonitate unius, & a malitia alterius.

Objic. 2. *Eo ipso, quod intelligatur, actionem oriri a voluntate, quae hic, & nunc potest illam producere, & non producere, intelligitur formaliter esse liberam; sed totum id intelligi potest, quin intelligatur dependencia intrinseca actus a potentia omittendi; ergo &c. Probat. min. Dependencia intrinseca actus a sua potentia, solum est dependencia, ut actus a potentia producatur; sed potest intelligi, quod illa virtus productiva actus sit potens hic, & nunc actum producere, & non producere, quin hoc habeat ex intrinseca exigentia actus; ergo &c. Resp. dist. maj. oriri a voluntate eligendò, seu vincendò inclinationem ad oppositum, conc. non eligendò, aut vincendò. neg. maj. & dist. min. nego conseq. Ad probat. dist. min. dependencia actus præcisè, quæ producti, conc. actus, quæ libere producti, sive actus, quæ liberi, neg. maj. min. & conseq. Ratio est, quia actus liber non solum includit in suis intrinsecis formalitatem effectus, sed etiam formalitatem eligentis, seu vincentis inclinationem ad oppositum ex fine, & motivo, quo vincit; cum autem hæc secunda formalitas stare nequeat, quin voluntas sit instructa principiis ad utrumque, exin actus ille elici non potest, quin voluntas sit instructa principiis ad utrumque; & sane mirum est, quod Adversarij ita argumententur, quandoquidem voluntas non possit se libere exercere, nisi rationabiliter, nisi utrum ex fine, & motivo, ratione cuius oppositæ inclinationi resistat per libitum, & electionem suam, cum autem hæc resistentia, libitum, & electio sit ipse actus, exinde haber intrinsecum actus oppositæ inclinationi resistere, adeoque haber ad inclinationem illam subsequi.*

Objic. 3. *Voluntari eliciendi amorem, quo 487¹ amet*

amet Petrum per duo instantia, potest Deus exhibere pro primo instanti concursum indiferentem ad actum illum amoris, ejusque omissionem; pro secundo vero concursum determinatum ad amorem negato omni concursu ad omissionem; sed in eo casu in secundo instanti perseveraret idem amor, qui fuit productus in primo instanti, quin esset amor liber, & necessarius; ergo actus liber non est intrinsecè liber. Confirmat. Intellectus potest conservare eundem assensum data, & oblate potestate ad diffusum illi contrarium, idemque cernitur proportionaliter in aliis causis circa effectus disparatos; ergo etiam poterit voluntas conservare in secundo instanti actum, quem cum indifferencia ad utrumque elicit, quin in secundo instanti habeat potestatem ad oppositum.

488.

Respondeo dist. maj. voluntate eliciente amorem eundem indivisibilem erga Petru pro secundo instanti per duo instantia, nego maj. amorem diversum pro diversitate instantium, conced. maj. & distincta minori nego consequentiam. Explico distinctionem, & solutionem: voluntas, quae in instanti A liberè amat Petrum, si in instanti B non habeat indifferenciam, & nihilominus divinitus conservet illum amorem, non poterit per illum denominari amans liberè Petrum pro instanti B, sed in B amans liberè pro A, ad eum modum, quo Deus dicitur odiò habere Petrum pro instanti, quo erat peccator, non vero pro hoc instanti, in quo est justus. Actus enim liber, cum sit electio, solum potest denominare voluntatem amantem pro eo instanti, pro quo denominat eligentem absque contrario potenti ad oppositum impellere actum resistentem modò explicatò num. 484. Cum autem pro instanti, pro quo est necessaria, non eligat, exinde nequit pro illo instanti denominari amans per illum amorem. Unde, sicut actus, qui simul est electio, aut semel est vitalis, semper manet intrinsecè electio, & intrinsecè vitalis, ita actus, qui semel est liber, semper manet liber intrinsecè. Ad confirmationem dist. eodem modo anteced. & nego consequentiam; quia, si actus opinativus requiriens motiva ad oppositum, ut eliciatur, conservetur in instanti, in quo non sunt motiva ad oppositum, non denominabit illum opinantem pro hoc, sed pro illo instanti, in quo erant motiva ad oppositum, ex quo potius rorobatur nostra sententia.

489.

Objic. 4. Actus abstractivus intellectus circa objectum contingens potest esse intrinsecè indifferens, ut sit verus, vel falsus; ergo etiam actus voluntatis potest esse intrinsecè indifferens, ut sit liber, vel necessarius. Confirmatur. Actus, qui modò elicetur à potentia indifferenti absque ullo imperio efficaci, potest postea elicere potentia per imperium efficacem determinata ad ipsum, eum efficaciter impetrando; sed exinde actus, qui prius erat li-

ber, potest esse necessarius; ergo &c. Resp. conc. ant. & nego conseq. quia cognitio abstractiva circa objectum contingens quoad lucam existentiam, seu entitatem non penderet, quod objectum se habeat à parte rei, ut ipsa determinat; sed pender quoad entitatem ex motivis, ex quibus assentitur, vel ex quibus dissentitur, ex quo non potest non esse abstractiva, licet ipsi contingens sit veritas, vel falsitas, cum qua componitur. Pariter actus liber non habet ab objecto, quod amplectitur, quod sit liber, sed à motivis, ex quibus elicetur, ratione quorum evadit electio obtemperans motivo allicienti, atque viatoria motivi retrahentis, quod non minus habet ex sua natura, quam actus abstractivus habet ex sua natura pendere à motivis, ex quibus pender. Quapropter, sicut actus, qui semel est abstractivus, licet possit esse verus, vel falsus, ac nonquam potest non esse abstractivus; ita actus voluntatis semel liber, licet possit aliquid habere objectum, quod sit, vel non sit ita bonum, ut representatur; at vero ex parte suorum motivorum nunquam potest non habere impellens, & retrahens, ut derur electio, ac proinde nunquam potest non esse liber.

Ad confirmationem dist. maj. per imperium efficacem per se ad actum requisitum imperatum, nego; per accidens requisitum, conc. maj. & dist. min. nego cons. Ratio est, quia imperium efficacem duplum potest considerari, minorem vel per se, vel per accidens requisitum ad actum imperatum, si concurrat ut principium per se, actus ex illo procedens non est immediatè liber, sed necessarius, cum ex parte actus primi non relinquat libertatem ad utrumque indifferente; at si concurrat per accidens ad actum imperatum à suis principiis per se adaequatè caulatum, vel per modum hypothesis, vel per modum eventus, nequit impedi libertatem, quin potius eam ex suo modo rendendi essentialiter presupponit, sive actus imperatus sit divinus, sive creatus, ut latius diximus in Tract. de Deo à n. 933.

Objic. 5. Actus amoris liber procedens à compriprincipijs influentibus in amorem non continetur in principijs superadditis per potentiam proximam ad odium; ergo idem amor, qui modò liberè elicetur, potius elicere voluntate non habente compriprincipia ad odium, ac proinde à voluntate operante necessario. Unde non quidem intrinsecè, sed contingenter erit liber. Confirmatur 1. Calor valde per accidens est, quod procedat à causa potente producere calorem, & frigus, vel à sola caula potente producere calorem; ergo etiam amori valde per accidens est, quod procedat à voluntate potente amare, & non amare vel à voluntate potente solum amare. Confirmatur 2. Aliqua libertas potest esse extrinsecus actui juxta dicta n. 484. ergo & omnis libertas potest esse extrinsecus actui.

Resp. dist. ant. non continetur directè secundum

cundum id, quod requiritur ad physicè influendum in actum, conc. non continetur indirecè secundum id, quod requiritur de dispositione proxima, ut voluntas hic, & nunc physicè possit iufluere in actum, nego ant. & cons.

Ratio est, quia, ut voluntas hic, & nunc possit elicere actum, qui est electio, non satis est, quod habeat principia physicè effectiva actus, sed requiritur, quod ea habeat cum dispositiobibus essentialiter requisitis, ut virtus effectiva posse in electionem prorumpere, in quam quidem non posset, nisi sequendò principia retrahentia, eaque relinquendò, quae actu alli- cium ad oppolitum, sine quo electio dari non posset, in quo stat dependentia indirecta actus eliciti à principijs retrahentibus, tanquam dispositionibus prærequisitis ad ipsum.

493. Ad primam Confirmationem conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia calor est qualitas motiva, proindeque non electiva inter utrumque, unde non eger ad sui actualem producti- onem, quod utrumque detur, ut unum eligat, & alterum relinquat; at actus amoris liber est actus vitalis, & electivus, qui, cum nequeat es- se electio, nisi unum amplectatur, & alterum relinquat; exinde eligi non posset, quin causa sit constituta ex utroque. Ad secundam confirmationem dist. ant. aliqua libertas secundum formalitatem electionis, nego, secundum formalitatem actualis resistentiae, conc. ant. & nego conseq. Ratio est, quia, si omnis liber- tas esset extrinseca actui, actus non esset electio, quae talis esse nequit, nisi ex suis intrinsecis elec- tio sit, sicut nequit esse vitalis, nisi ex intrinsecis suis vitalis sit, ut constat à n. 473. Unde ista formalitas nunquam potest esse ex- trinseca actui; sed intrinseca. Insuper, cum hac facultas electionis dari non possit, quin detur aliqua resistentia quoad efficaciam, exinde hujusmodi resistentia nequit esse actui ex- trinseca. Ceterum, cum possit habere virtu- tem quoad sufficientiam ad resistendum non solum principio, cui actu resistit, sed etiam validiori, si superveniat; exinde aliqua resisten- tia quoad efficaciam potest esse extrinseca a- ctiu liberu, ut diximus à n. 484.

494. Objic. 6. Si libertas esset actui intrinseca, posset dari actus peccaminosus essentialiter in- evitabilis absque auxilio gratia intrinsecè super- naturali, proindeque connexus cum ente super- naturali; atque actus peccaminosus ut- pote intrinsecè naturalis, nequit connecti- ente super- naturali; ergo &c. Prob. maj. Peccatum infidelitatis nequit evitari, nisi per actum fidei pendente ab auxilio gratiae in- trinsecè super- naturali, neque potest talis actus esse peccaminosus, quin sit liber; ergo, si es- set intrinsecè liber, esset essentialiter inevita- bilis absque auxilio gratiae intrinsecè super- naturali, proindeque connexus cum ente super- naturali. Resp. nego maj. ad probat. dist. ant. nequit evitari nisi per actum fidei victoriæ salutari, conc. non salutari, neg. ant. & cons.

Ratio est, quia peccatum infidelitatis evitari potest per actum naturalem, quo homo natu- raliter assentiretur rebus revelatis; homo enim non solum potest in his assentiri per actum fidei supernaturalem, sed etiam per actum natura- lem, ut pater in hæreticis actu naturali cre- dentibus Trinitatis mysterium; quapropter in eo casu actus peccaminosus infidelitatis ex in- trinsecis suis solum requirit principia per se ne- cessaria ad ipsius effectiōnem, & motiva in con- trarium allicientia, quibus resistat, sive talia motiva pertineant ad lineam suam, atque ad naturalem suam exigentiam, sive sint superna- & compensativa lineæ suæ, atque excedentia suam exigentiam, & constituentia voluntatem non solum potenter evitare peccatum, sed etiam potenter evitare illud per victoriæ sa- lutarem. Unde actus ille peccaminosus ne- quaquam esset supernaturalis, neque dici potest supernaturalis extrinsecè, cùm hæc esset im- plicantia in terminis, quandoquidem super- naturalitas, non minis, quam vitalitas est a- ctiu intrinseca, ut constat à n. 386. de virtute pœnitentiae.

Objic. 7. Quæ obstant existentiae alicuius actus, non juvant ad illius existentiam, proindeque talia manent ut actus melius, & facili- us sine illis, quam cum illis existat; atqui prin- cipia retrahentia obstant resistentiae actus libe- ri; ergo actus liber melius existit; sine illis, quam cum illis, ac proinde non erit intrinseca liber. Confirmatur. Actus charitatis, viæ, & pa- tria sunt ejusdem speciei, ac proinde actus il- le, qui in via elicetur liberè, potest in patria e- lici necessariò; ergo &c. Resp. dist. maj. quæ obstant directè, & indirectè, conc. solum in- directè, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia principia retrahentia, ne detur hæc electio hujus extremi ex intrinsecis suis vi- trix, licet non juvant directè ad electionis existentiam vi- tricis, juvant indirectè, tan- quam conditiones essentialiter prærequisitæ ex distis à num. 492. proindeque electio, licet non pendeat ab illis tanquam à conditione directa, pender tamen tanquam à conditione indirecta, & necessariò prærequisita. Quod plurimis exemplis explanavi. Ingratitudi- enim non potest existere, nisi existente bene- ficio, quod tamen ex se non movet ad ingrati- tudinem; sed ab illa retrahit. Pariter Mart- yres non existissent, nisi existissent Tyranni, quorum tamen conatus directè, & princi- paliter erat, ne illi essent Martyres; sed Idolo- latrae: actus pœnitentiae existere nequit, quin existeret peccatum, curatio, quin existeret æ- gridudo, & sic de milibus aliis; quin pecca- tum exigat pœnitentiam destrutivam illius, aut ægridudo curationem expellentem ægridu- dinem; sic etiam contingentia ad non exi- stendum juvare creaturam, ut existat, vide n. 500.

Ad confirmationem nego antecedens; a- 497. etus enim charitatis viæ pendet à cognitio- ne

ne abstractiva, patriæ verò à visione intuitiva, ac proinde, licet respiciant idem objectū, habent tamen modum tendendi notabiliter diversum, quod sufficit ad distinguendum specificè actum; non minus ac apprehensio, iudicium, discursus circa idem objectum materiale, & formale, sunt actus specificè distincti; ex quo patet aliud discrimen inter habitum charitatis, & habitum fidei; nam bonitas divina, quam pro objecto formaliter respicit charitas, eadem est, sive attacta in via, sive in patria; ideoque actus charitatis via manet in patria, licet in actu non maneat idem modus tendendi in suum objectum formale; at objectum formale habitus fidei est Deus revelans, objectum verò volitionis est veritas; quia non quidem in revelatione, sed in sua specie apparen, proindeque sunt objecta formalia folium ratione diversa, arque sufficientia ad verificandos diversos habitus, quæ est ratio D. Thomæ quæst. 14. de veritate art. 8. ad 3. dicentis: veritas prima est objectum visionis patriæ, & in sua specie apparen; fidei autem ut non apparen, unde, eti idem re sit utriusque actus objectum; non tamen est idem ratione, ut sic formaliter differens objectum diversam speciem actus facit. Videatur Esparta lib. 3. de actib. hum. quæst. 4.

498. Objic. 8. Si posset poni à parte rei actus intrinsecè liber, sequeretur, quod talis actus deesset, eo ipso, quod deesse nequit; sed hoc implicat; ergo &c. Min. patet, quia quicquid concipi potest magis chymæricum, quam concipere hanc esse bonam consequentiam, non potest deesse; ergo deerit? Major probat. Si actus sit essentialiter liber, requisitum essentialie, ut sit, est posse deesse; ergo, si non potest deesse, deficit requisitum essentialie, ut sit; atqui actus deesset, si deficit illi requisitum essentialie, ut sit; ergo, si non potest deesse, eo ipso deesset. Argumentum illud plures aliquando irriserunt, quia paralogismus est; fateor paralogismum esse, verum paralogismi non solum sunt ridendi, sed etiam solvendi, imò non sunt ridendi, si non sunt solvendi.

499. Resp. dist. maj. actus deesset eo ipso, quod deesse non posset per importantiam deficiendi veram, neg. chymæricam, conc. maj. & dist. min. est impossibile, quod actus deficit eo ipso, quando deesse non posset in suppositione vera, conc. in suppositione chymærica, neg. min. & consequentiam. Ad probationem conc. maj. & dist. min. deficit requisitum in suppositione vera, conc. in suppositione chymærica, neg. min. & consequentiam. Ratio est, quia ex suppositione chymærica sequitur chymæra, sic, si supponatur actus esse liber, & non esse liber, sequeretur, deficit actu liberum, quando non deficit actus liber; de ratione ergo sc̄tus liberi est, posse deesse, unde suppositione illa, quod actus liber non posset deficit, est chymærica, ac proinde, quid

mirum, quod ex illa subsequatur chymæra. Cæterum, ut totam hujus paralogismi vim intus, & in ente percipiamus, sc̄to, illum non solum militare contra actum essentialiter liberum, sed etiam contra contingentiam essentiali cujuscunque creaturæ; pro quo nota, impossibilitatem, ut res deficit, aliam esse veram, & realem, hujusmodi est impossibilitas, ut Deus deficit; aliam verò esse pure apparentem, fictam, & chymæricam, sicut est impossibilitas absoluta, ut creaturæ essentialiter contingentes deficiant. Nunc, si suppones, non posse deficit Petrum, cum suppono, hoc sit contra essentialiam Petri, qui igitur creatura deficit essentialiter contingens, & simpliciter defectibilis; ex illa recte inferuntur duo contradictoria, nempe Petrum esse defectibilem, & non esse defectibilem, ac proinde inferretur, Petrum igitur essentialiter contingentem deficit ex eo, quod non posset deficit. Pariter ergo in nostro casu, cum actu liber sit essentialiter contingens, si supponatur essentialiter indefectibilis, supponitur liber ha- ne essentialia actus liberi, & cum quavis res deficit deficiente ejus essentialia, optimè inferretur, actu liberum deficit ex suppositione, quod essentialiter posset deficit. Cæterum, cum suppositione sit chymærica, & ficta, nihil mirum, quod ex illa sequantur plures proportiones chymæricæ, contradictoriæ, & fictæ.

Quamobrem actus liber ex natura, & essentialia sua habet, quod sit electio determinativa voluntaris cum victoria comprincipiorum, quæ voluntatem constituebant indifferenter, atque alliciebant ad oppositum libertatis extremum, quæ quidem electio vitrix nequit ullo modo denominare voluntatem, nisi voluntatem indifferenter, quam determinat, licet posset esse magis, vel minus intensa. Unde, si contingere posset, quod ponatur in voluntate non constituta indifferenter, perinde esset; ac si ponatur in lapide, vel si volitio necessaria ponatur in voluntate, quæ ab ipsa produceretur. Pariter, si contingere posset, quod esset adeo remissa, ut non posset vincere comprincipia vehementer inclinantis ad oppositum, voluntas cum illa vehementia ad oppositum constituta, non posset eam tenuem volitionem liberam elicere, ideoque casu, quo liberè vellat volitionem, aliam eliceret magis vehementem. Si autem esset tam vehementer, ut non solum posset vincere comprincipia, quæ modò ad oppositum alliciunt; sed etiam alia, quæ magis alliciunt, adhuc posset à voluntate produci, eamque volentem denominare, licet voluntas ac quireret majorem illam vehementiam

in oppositum, juxta dicta
num. 484



DISPU-

DISPUTATIO XIII.

AN DARI POSSIT LIBERTAS IN ACTU SECUNDO
ABSQUE LIBERTATIS ACTU, ET AMISSIONE?

302. **I**nquitimus in praesenti, utrum voluntas possit se liberè exercere in actu secundo, quin illum libertatis actum, aut actionem producat, quod idem est, ac quætere, an dari queat pura omissione libera? Rem explico; quando homo nequit liberè scribere, cessat scriptio externa per puram omissionem scriptiois externæ, quin interveniat ullus exterius actus. Quærimus ergo, quando voluntas expedita est cum libertate proxima ad amandum, ac proinde infrastructa motivis allicientibus, & terra hentibus ab amore, possit se liberè exercere intrinsecè purè omittendò amore? an autem requiratur necessariò (ut voluntas se liberè exerceat) actus positivus incompensibilis cum amore, qui omittitur, sive hoc sit directè volendò exercitium amoris, sive aliter; ita, ut voluntas libera nequeat exercere libertatis dominium, nisi per actus positivos? Prima sententia docet, possibilem esse puram omissionem liberam, ita plures, & quidem gravissimi Auctores, quos citat Isquierdo tomo 2. de Deo Tractatu X. disputat. 30. q. 6. tit. 7. Secunda sententia negat, ita Card. de Lugo, Sfortia, Ribadeneira, Esparza, Quiros, Herrera, aijque quam plurimi.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

303. **A**scero cum secunda sententia. Pura omissione libera repugnat. Probat. 1. Exercitium liberum potentiae se liberè exercentis debet necessariò respicere motivum aliquod, vel aliquem finem; sed pura omissione nequit habere finem, aut motivum; ergo pura omissione nequit esse liberum exercitium principii per se liberè exercentis. Conseq. tenet, si præmissæ probentur. Probat. 2. Agens rationale nequit se liberè determinare, & exercere, nisi ratione ducatur; atqui ratione duci, nihil est aliud, quam aliquo fine moveri, sive quod exercitium liberum principii se liberè exercentis respiciat motivum aliquod, vel aliquem finem; ergo &c. Probat. 3. Agens liberum, & morale, utpote imperando: le discernens à brutis, nequit se liberè exercere, quin possit rationem reddere de sua operatione; hoc autem est exercitium liberum respicere finem, aut motivum. Probat. 3. Principium liberum ut liberum, constitutur per cognitionem, quæ ex uno motivo allicitur, & cognitionem, quæ ex alio motivo retrahitur ab operatione ad opinionem; ergo exercitium liberum, sive fugæ, sive amplexionis respicit motivum.

R. P. Girmaz Theolog. Tom. I.

Probat. min. primi syllogismi. Pura omissione libera nihil est. ut verbis Adversarii utar) sed quod nihil est, nequit respicere finem, aut motivum; ergo. Probat. min. Quod nihil est per se, nequit posse respicere finem, aut motivum, cum per se nihil non sit esse; aut expressio rationalis appetentis; nequit enim respicere motivum per alium actum ipsius nihil socium; aliter voluntas non purè omittetur, cum jam eliceret illum actum ad omittendum aliud extreum ex motivo; ergo pura omissione libera nullum potest habere finem, aut motivum. Confirm. 1. Exercitium liberum, medio quo agens reale respicit suum finem, est exercitium, medio quo sequitur ductum motivi allicientis, & resistit retrahenti; sed pura omissione, cum nihil sit, nequit resistere retrahenti; ergo. Confirmatur 2. Agens resistens alicui motivo aliquid ponit ad resistendum, quod non ponebat, quando non resistebat illi motivo; sed purè omittere non est aliquid ponere; ergo &c.

Respondebis primò, puram omissionem liberae moraliter æquivalenter, & interpretativè esse aliqualem amorem erga motivum illud, ratione cuius actus omittitur. Contrà tamen 1. Amor motivi illius est quid positivum, pura autem carentia, cum nihil sit, est contradictorium actus positivi; atqui contradictorium actus positivi nequit esse moraliter æquivalens, & interpretativè amor; ergo &c. Conseq. tenet Major est certa, minor probatur, quia ex eo, quod lux sit contradictorium tenebrarum, lux nequit esse moraliter æquivalenter, & interpretativè tenebræ, nec tenebrae possunt esse moraliter, æquivalenter, aut interpretativè lux. Contrà 2. Quod est alterum interpretativè, est aliquid supra id, quod nihil est; sed pura carentia non est aliquid supra id, quod nihil est; ergo &c. Contrà 3. Quia imperceptibile est, quomodo purum nihil sit interpretativè aliquid positivum, cum reverè omittere, non sit aliquid agere; neque dicas, esse agere interpretativè: nam hoc est imperceptibile; quia omittere, & agere, opponuntur contradictoriè, & nulla res potest esse æquivalenter suum contradictorium. Contrà 4. Quia imperceptibile apparer, quomodo nihil agere, sit æquivalenter resistere motivo retrahendi, et uniri allicienti; fin autem: explicit Adversarii, quomodo id fieri possit.

Respondebis 2. id facile percipi posse; quia puram omissionem esse nihil, non est idem esse, quod chymæra, sed dicit nihil contrapositivè ad actus positivos; cum autem sumi posset contrapositivè ad chymæram, non est adeò purum nihil, ut non sit aliquid

Kkk

diminu.